vram equitati locum daturam planè confidimus
Quod reliquum est, S:tem vram prosperrima in multos
annos valetudine ac felicissimis rerum omnium
successibus frui ex animo optamus. Dat. Pragae
12. Sept. 1589.

Ad Don Felicem de Arragonia 135
Praefectum praesidij Hispanici
Civitatis Plumbinens.

Rudolphus etc. Nobilis etc. intelleximus nobilem nostrum et Sac:
imperij fidelem, dilectum Alexandrum Appianum Plumbini
dominum à nefariis ac sceleratis quibusdam hominibus vim,
per oppressum atque interfectum esse. Quod quoniam per se
factum atrox est ac indignum, graviter sanè ac molestè ac-
cepimus. Miramur autem, cum ea res tibi omnium optimè
cognita est, potuerit nihil planè abs te significatum esse,
quod pro ea, qua nobis cum Serenss. Rege Hispan. Cathol: a-
vunculo, sororio ac fratre nostro charissimo, cujus tu partes
istic sustines, intercedit conjunctione certissimè expecta-
bamus. Cum igitur nihil adhuc antequam de toto negotio ple-
nè edocti simus, de regimine est quomodo id institui in
posterum velimus, decernere possumus, ea propter ipsis civita-
tis Plumbini Magistratibus mandamus atque injungimus, ut jus
justitiamque, nomine nostro per eosdem, per quos dicto Ale-
xandro Appiano vivente administrabantur, donec ulterius
voluntatem declaremus nostram, administrentur, nihilque novi
incenari permittatur, quemadmodum in ex adjuncto videbis
exemplo. Quod cum illi curaturi sint, nihil abs te mole-
stiae vel impedimenti adhibendum confidimus, quod etiam be-
nignè requirimus. Ut verò etiam de facinore ipso quomo-
do et à quibus perpetratum sit, quamprimum constent accuratè
ad nos quamprimum rescribas, te clementer hortamur
et commonefacimus. Facturus es in eo rem te dignam
et Nobis gratam, quam gratiâ nostra Caesa. occasionem
benignè agnoscemus. Dat. Pragae d. XVII Octob. ao 1589.

Mandatum patens ad Civitatem 136)
Plumbinam, ne interfecto Alexan-
dro Plumbini domino quic-
quam innovetur.

Rudolphus etc. Universis ac singulis nostris et Sac. imperij

fidelibus dilectis N. Antianis Magistratibus, coete-
risque officiariis, subditis atque incolis civitatis ac ditio-
nis nostrae Plumbini salutem, benevolentiam ac grati-
am nostram Caesaream, allatum est quod quidem nobis mo-
lestissimum est, Nobilem nostrum et sacri Imperii
fidelem dilectum Alexandrum Appianum Plumbini Do-
minum à temerariis quibusdam et flagitiosis homini-
bus, vi nefaria superioribus diebus trucidatum esse,
ex qua re cum varii excitari motus possint, qui tranquil-
lum ditionis istius statum turbant, nostra ad quos supre-
mum dictae Civitatis et dominii jus summaque authoritas
pertinet, imprimis interesse et ad officium nostri muneris
spectare quammaxime ducimus, ut illius incolumitatem
et quietem quantum in Nobis est, pro autoritate tam
nostra tum sacri Imperii procuremus. Quoniam vero
antequam de omnibus quae ad pleniorem deliberatio-
nem necessaria sunt accurate informati simus, nihil
adhuc de regimine isto, quemadmodum id in posterum
institui velimus, decernere possumus, idcirco vobis omni-
bus ac singulis serio mandamus atque injungimus ut usque dum cau-
sa tota cognita planeque perfecta, aliud statuamus jus et justi-
tiam coeteraque omnia deinceps tam in ipsa civitate,
quam foris ubique nomine et auspiciis nostris per eos-
dem per quos ipso Alexandro Plumbini Domino in
vivis existente administrabantur, eodem modo admini-
strari sinatis et administretis, neque quicquam contra
expressam hanc voluntatem nostram innovari, neque mu-
tationem aliquam sive in Magistratu, sive in aliqua
regiminis parte fieri permittatis. Quandoquidem au-
tem de facinoris hujus perpetrati autoribus aut modo
nihil adhuc satis compertum habemus, vestri erit studii et
in Nos observantiae, quam primum Nos de omnibus
quae acciderunt, et si quae deinde consecuta sunt cer-
tiores facere, quae quidem omnia et singula pro ea cura
qua rebus nostris succurrere et consulere cupimus, proque
eo quod Nobis incumbit munere serio firmiterque manda-
mus atque edicimus quibus vos pro debita nostra erga
nos reverentia obedientiaque obtemperabitis, quae-

tenq nostram et sacri imperij indignationem gravis-
simam evitare volueritis, haec est enim expressa mens
et voluntas nostra, quam harum testimonio literarum
manu nostra subscriptarum est et sigilli nostri Cae-
sarei impressione communimus. Dat: Prag: 17. octob.
1589.

Decretum in negotio Mirandulano. 137

Sacra Caesa. Mtas Dnus Noster clementissime be-
nigne audivit, quae Nobilis sincere dilecta Eleonora Piea
Comitissa Rhodi exponi curavit, ratione Mirandulae
et Concordiae, eodemq pertinentium Dominiorum,
quae sacra imperij feuda sunt. Cum nimirum superiori-
bus temporibus felonia ac perduellione Galeotti Comi-
tis Johannis Francisci linea, ipse Eleonoram, ejusdem
comitis Joannis ex comite Paulo ejus filio neptem, ut
ipsa praetendit transfusam esse, proinde se humilli-
me supplicare, ut Sa Caesa Mattas, illa plenitudine pote-
statis suae dignaretur, hoc totum successionis jus in Mi-
randula et Concordia comitatum in se ita transferre
ut ipsa et per ipsam Paulus Guilielmus ejus filius ex co-
mite Ascanio Andreasio primogenitus de locis, terris, ca-
stris, feudis Mirandulae et Concordiae cum omnibus, quae eo
eo pertineant, tam ultra quam citra flumen Situlo inve-
stiri in feudum nobile, gentile, paternum recto stanti,
quo cum mero et mixto imperio et jurisdictione. Quem-
admodum praedecessores de iisdem investiti fuere, siq
de primogenito in primogenitum descendes, ad omnia
jura et feuda juxta antiquam consuetudinem succede-
re possent. Quamvis autem S. C. M. in praesenti, pro
benigna voluntatis suae inclinatione ostendere liben-
ter velit, quantum in hoc negotio apud se ponderis
habuerit Literae Serma Dna Christierna nata Regina
Daniae, Sueciae et Norvegiae Ducissa Lotharingiae Ba-
ri et Mediolani vidua, Sae Mtis consanguineae, tamen
cum res haec talis sit, quae pleniore informatione matu-
rioreq deliberatione indigeat, nihil in praesenti ad eas sta-
tuere certi potest, se negotio in aliud tempus dilato, be-
nevolentiam interim Caesaream dictae Eleonorae clemen-
ter defert. Dat: Prag: 19. Xbr 1589.